GUIDO DE COLUMNIS

Italien, vor 1399 Seite 17r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36883
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



interse de singulis conferre liceret, cui statim paris sic dixit: putas ne dna. Si te dii atuis maioribus et
fata traxerint, et te voluerint in meam pervenisse provinciam, quod talis tibi permutatio sit dampnosa. Ut maioribus
diviciis et carioribus deliciis non habundes. An putas troianam provinciam achaie non excedere ubertates
que sola est omnibus preciosissimis opulenta. putas ne me regia dignitate tuam, cultu libidinoso fedare
sane maioribus diviciis afflues, et honorabilioribus deliciis vitam duces, et me que dedignari
non debes equalis dignitatis vel pocioris etiam viro tuo matrimonialis thori habere consortem. In carta
enim uxore te michi copulare propono, et tecum perpetuo vivere, in sacrarum federe nupciarum. nec tibi putare debes horren
dum, si pusillum regnum in quo fuisti aetenus in ampla regna commutes. Cum troiano regno multa sint
Asie regna subiecta. que tibi cum omnis subiectionis devocione parebunt. Nec amissi tui viri te debet iactura
conpungere. Cum mihi non sit in nobilitate similis in strenuitate nec in dilligendi fervore prorsus equalis
Ex amoris enim tui flamma totis affectibus incalesco, et ab eo qui plus te dilligit, sperare debes fir
miter plus honoris. Cessa ergo amodo plus dolere lacrimas tempera, et murmura querelarum, et
in hiis rogo ut exaudias humiles preces meas. At illi respondit. Alacrimis quis abstinere potest qui
tantis doloris aculeis angitur sicut ego. malem deos de meis successibus aliter statuisse. Set ex quo aliter
esse non potest inuita tuas preces admittam. Cum tue resistere voluntati nulla sit potencia penes me. et
statim subitas prorupit in lacrimas et singultus, quas iterum sedare nixus est paris. Et ea tandem et
alacrimis desistente ab ipsa paris humili voce petita licencia superavit. Et adveniente sero, paris
eidem studuit deservire non minus blandiciis quam preciosis cibariis habundanter

De rege priamo ducente helenam in troiam.

Decurso igitur noctis silencio et adveniente diluculo paris Elenam, regiis vestibus arege priamo
sibi traditis exornatam equum mire pulcritudinis aurea sella et aureo freno, decorum fecit ascen
dere ordinatisque captivis aliis in equorum multitudine iusta gradus eorum, iubet eos precedere in multa mi
litum comitiva. Et demum ipse paris et deyphebus. Antenor. Eneas. et pollidamas. nec non et quam
plures alii nobiles, equos strenuos ascendentes regina Elena in apparatu et honore comitantur
Et recedentes a Thenedon lentis passibus se dirigunt versus troiam, et eis venientibus versus Civi
tatem eandem. Rex priamus in multorum comitiva nobilium obvius illis venit. Et salutatis suis
ac benigne et illam vultu receptis, accedit ad Elenam, quam devotis affectibus et alacri fronte
recipiens ipsi in urbis placidis se submittit. Pervenientibus ergo illis ad Civitatis portam, ubi
multitudo populi infinita conflexerat, Gaudia celebrans, et in mensa tripudia, in omni genere mu
sicorum. Rex priamus primo descendit ab equo, et regina Elenam pedes habens aureis equi sui
in multitudine maiorum troie, et multa veneracione deducit. quousque ipsi in suam excelsam regia
introduxit. Quid ultra, magna sunt gaudia que ducuntur ab omnibus in Civitate troiana. ma
gna sunt festa, que ob adventum paridis et suorum sunt gesta, qui cum eo in columnes redierunt
Illucescente vero die sequenti, rege priamo acceptante gratanter. paris Elena in templo palladis
duxit uxorem. ob cuius rei causam universi troiani implicant festa festis. Gaudia gaudiis aggre
gant. Et per dies octo continuos, ludis et exilaracionibus vacaverunt. quod postquam Caxandre filie priami
regis innotuit paridem sibi Elena matrimonio nexuisse, duras prorupit in voces et querulos ulu
latus patenter exclamans et dicens. Ad quid infelices troiani gaudia ducitis de nupciis paridis
ex quibus vobis tanta ventura sunt mala. Et per quas vestram necem et vestrorum deflebitis filiorum
quos in conspectu patrum trucidatos videbitis, et maritalia funera induate intuebuntur uxores. et
ha sublimis troia diris precipitura ruinis, quam impia subversa peribis. ha misere matres, quanto dolore vestrorum
cordium claustra servabitis. Cum de partibus vestris viscera avellis videbitis. et membratim membra dis
iungi. ha misera ~~inde~~ Ecuba inde tot poteris educere lacrimas in natorum tuorum excidio, quos sectabit
et incidet cruentatus gladius impiorum. ha gens ceca, et dire mortis ignara cur inviolenta ma
nu ab iniusto viro non evellitis Elenam. et eam non acceleratis restitui iusto viro. ante quam durus
ensis acceleret, et acutus gladius vestro desseniat in cruore. putatis ne factum paridis sine
gravi pena et acerba vindicta posse transire. per quam nobis est finale excidium perventurum ha
infelix Elena quot nobis es paritura dolores. pellite igitur misi Cives impium funus ala